HONORIUS AUGUSTODUNENSIS

Admont, Ende 12. Jh. Seite 53r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26208
Copyright: Admont, Benediktinerstift

stro non leuatur. et primo modum obedientia per dilectionem dei in contemplationem attollitur. et tamen a proximis in actiua uita per dilectionem proximi non auellitur. Per stolam quoque innocentia exprimitur. que in primo homine amissa. per uitulum saginatum occisum recipitur. Beati qui hanc stolam a criminum labe custodiunt. uel maculatam lacrimis lauabunt. quia illorum potestas est in ligno uite scilicet in Christo amissam gloriam possidebunt. [Innocentia.]

Hac etiam patriarche ante legem utebantur. et primogenita dicebantur. Erat autem uestis sacerdotalis quam maiores natu cum benedictione patris ut Iacob ab Ysaac induebant. et uictimas deo ut pontifices offerebant. Unde dicitur. Vende mihi primogenita tua. Et iterum. Stola Esau induit eum.

V. Exin subcingulum quod perizoma uel cinctorium dicitur contra pudenda duplex suspenditur. et hoc elemosinarum studium accipitur. quo confusio peccatorum contegitur. Hoc [illegible] duplicatur. quia primum anime sue misereri peccata deuitando. deinde proximo necessaria impendendo cuilibet imperatur. [Subcingulum.] [Elemosina.]

VI. Deinde casulam omnibus indumentis supponitur. per quam caritas intelligitur. que omnibus uirtutibus eminentior creditur. Casula autem quasi parua casa dicitur. quia sicut a casa totus homo tegitur. ita caritas totum corpus uirtutibus complectitur. Hec uestis et planeta quod error sonat uocatur. eo quod errabundus limbus eius utrimque in brachia subleuetur. Hec in duobus locis scilicet in pectore et inter humeros duplicatur. in duobus locis uidelicet in utroque brachio triplicatur. Inter humeros duplicatur. quia per caritatem sancta cogitatio. et bona uoluntas generatur. Vestis ad brachia eleuatur. dum caritas bona operatur. In dextro [Casula.] [Karitas.]